MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80016-7

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

GOTTLING,
KARL WILHELM

TITLE:

...C. GOETTLINGII
COMMENTATIO

PLACE:

IENAE

DATE:

[1856]

Master Negative #

91-80016-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87G28
EG

Göttling, Karl Wilhelm, 1793-1869.

...C. Goettlingii Commentatio de dvobvs A. Gellii locis, qvorvm alter agit de Hermvndvlorvm popvlo, alter de Amata vestale, qvae nomina revocantvr ad Graecam originationem. Ienae, prostat in libraria Braniana, [1856]

10 p. 23½ cm.

At head of title: ...Novi prorectoris magnifici ...avspicia d. II. m. Avgvsti a. MDCCCLVI oratione pvblica... indicit Academia Ienensis...

130918

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13½X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/25/91 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87G28 - EG

87G28 EG

COLUMBIA COLLEGE LIBRARY.

MADISON AVENUE.
NEW YORK.

Q. F. F. Q. S.

NOVI

PRORECTORIS MAGNIFICI

VIRI AMPLISSIMI

CAROLI SNELL

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS MATHEMATVM ET PHYSICES P. O.

AVSPICIA

D. II M. AVGVSTI A. MDCCCLVI ORATIONE PVBLICA

RITE CAPIENDA

CIVIBVS

INDICIT

ACADEMIA IENENSIS.

ADIECTA EST

C. GOETTLINGII COMMENTATIO DE DVOBVS A. GELLII LOCIS,
QVORVM ALTER AGIT DE HERMVNDVLORVM POPVLO, ALTER DE AMATA VESTALE,
QVAE NOMINA REVOCANTVR AD GRAECAM ORIGINATIONEM.

IENAE
PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

Vtar hac occafione novi Prorectoratus follemnia indicendi fecundum mores maiorum, qui in re graviffima fubficivorum temporum meditationes non refpuunt, ita, ut de duobus A. Gellii locis fententiam meam proponam, in quibus obfcuritas rei me quidem iudice dimovetur, fi pro *latinis* vocabulis, quae, ut vulgo leguntur, viris doctiffimis impofuerant, agnofcamus *graeca*.

Alter locus, de quo faepius disputatum eft, legitur apud A. Gellium N. A. XVI, 4., quo primum Thuringos commemorari putabant ii qui Thuringos et Hermunduros eosdem effe ftatuerent. Habet autem ita fecundum M. Hertzii contextum:

Cincius in libro tertio de re militari fetialem populi Romani bellum indicentem hoftibus telumque in agrum eorum iacientem hisce verbis uti fcripfit: *Quod populus Hermundulus hominesque populi Hermunduli adverfus populum Romanum bellum fecere deliqueruntque, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum inffit, ob eam rem ego populusque Romanus*

116239

populo Hermundulo hominibusque Hermundulis bellum dico) facioque.*

Ad hunc locum I. Gronovius haec adnotaverat: „Videtur Pater aliquando suspectum habuisse illud *populi* [in verbis hominesque *populi Hermunduli]* sed magis ridiculum notavit errorem Ludovici Aurelii ad Tacitum II. Ann. 63. opinati hos esse illos quos Tacitus vocat Hermunduros ex Germania, tanquam populum aliquem in vetere Latio semel nominari nequivisse statuat.“

Qui Hermundulos hos pro populo Latii ignoto haberet praeter I. F. Gronovium nemo inventus est, et recte quidem. Fridericus igitur Lachmannus in commentatione I. de fontibus historiarum T. Livii p. 30. ita: „Hermunduli aut ignotus *Italiae* populus est aut Gellius ipse nomen Hermundurorum, qui tum potissimum cum Antonino bellabant (Capitolin. Anton. phil. c. 22. init. et 27.) exempli causa adiecit.“ Paullo aliter at multo probabilius M. Hertzius de Luciis Cinciis p. 78. ita: „Agnosco equidem Hermundulos (voluit scribere *Hermunduros*) illos, quos primum laudatos legimus apud Strabonem VII, p. 290. (Cas.) et apud Velleium II, 106. ubi a. 5. p. Chr. n. Tiberius narratur ad Albim, ‘qui Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit’ perduxisse exercitum; aut igitur ad hanc ipsam expeditionem respexisse putandus est Cincius, aut, quod magis mihi videtur probabile (vix enim is quem ante a. 46 vel 45 a. Chr. n. de fastis librum scripsisse statuimus, post annum p. Chr. n. 5 de re militari

*) Sic recte Hertzius, non *indico.* Eodem modo dictum fuisse *vim dicere* pro *indicere* monui histor. form. reip. Romanae p. 139.

scripserit) Hermunduros, qui eo, quo floruisse Cincium tempore statuimus, Romanis per Teutones ac Cimbros perque Caesaris expeditiones rerum Germaniae aliquantum peritis certe haud omnino ignoti erant, grammaticorum more exempli gratia posuit Cincius pro cuiuslibet populi nomine.“

In quo tamen illud permirum esse videbitur, hunc Cincium, diligentem scriptorem, in sollemni formula fetialium si certi populi nomine uti voluisset, nomen barbari cuiusdam populi, cuius eo tempore vix fama pervenerat ad Romanos, substituisse nobili nomini Priscorum Latinorum quod in eadem fere formula legitur apud T. Livium I, 32: „Quod populi Priscorum Latinorum hominesque Prisci Latini adversus populum Romanum Quiritium fecerunt deliquerunt, quod populus Romanus Quiritium bellum cum Priscis Latinis iussit esse, Senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, consciv it, ut bellum cum Priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus populis Priscorum Latinorum hominibusque Priscis Latinis bellum indico facioque“! Ab hac autem formula, qua primum A. Marcio auctore, qui ipse conditor esse fertur iuris fetialis Romanorum, tum usi esse dicuntur Romani, quum bellum indicebatur Latinis, cur omnino desciverit Cincius, si certum aliquem populum pro quolibet voluisset denominare, causam ego nullam invenio. At vero obscurissimum Germaniae populum eum in finem ex tot nominibus barbarorum *hostiliumque* Romanis Cincium elegisse Hermunduros, quorum *fidem* in Romanos certe laudavit Tacitus (Annal. II, 63.), quis credat? Quis credat etiam, sine risu ex-

ceptum fuiſſe eundem Cincium, ſi finxiſſet fetialem populi Romani belli indicendi cauſa iacientem *in fines Hermundurorum* haſtam praeuſtam, de qua ipſe ſcriptor narraverat, antequam formulae verba proferret? Quidni, ſi neſcio qua cauſa permotus noluit Priſcorum Latinorum nomine in hac re uti, fecit ut T. Livius, qui (I, 32.) quum de alia formula fetialium dicit, ita protulit verba ſollemnia: „Audi Iuppiter, audite fines *(cuiuscunque gentis ſunt, nominat)*" et poſtea: „Ego vos teſtor, populum illum *(quicunque eſt, nominat)*."? Accedit quod nullus veterum ſcriptorum quotquot commemoraverunt Hermunduros, eos dixit *Hermundulos*. Quod, quanquam ipſe mirabundus animadverterat C. Zeuſsius (Die Deutſchen und die Nachbarſtämme p. 104), tamen ſuſpicionem ne huius quidem viri movit. Neque credibile eſt latinum ſcriptorem populum *Hermundurum* dicturum fuiſſe pro populo *Hermundurorum*.

Mihi igitur videtur nomen fictum eſſe non verum, fictumque ab ipſo Cincio, ut belli cauſa quam populus quicunque ab Romanis ſibi meruiſſet notaretur ipſo vocabulo. Quale autem ſit illud nomen apparebit ſi ea in memoriam nobis revocaverimus quae ante bellum indictum geſta ſunt ab fetialibus Romanis. Haec autem ita deſcripſit T. Livius, ut *rerum repetitionis*, quae dicebatur, rationem perſpiciamus optime. Antiquiſſimis enim temporibus Romanorum bella oriebantur ex incurſionibus in agrum Romanum factis vaſtandi, populandi praedamque agendi cauſa (Liv. I, 14. 15. 22.); poſtea *res raptae* (fuerunt autem prae ceteris *pecora*, in primis *boves*) repetebantur ab Romanis (V. de hac

re Briſſonium de form. p. 320.) per clarigationem*) ab fetialibus inſtituendam; ſi res non redderentur, bellum indictum. *Rapinae* igitur cauſae erant antiquiſſimorum bellorum atque hoc indicare voluiſſe Cincium puto ficto in hanc rem vocabulo, quod, quanquam fictum, intelligeretur ab omnibus ignominiamque exorti belli in caput hoſtium averteret. Certum enim populum, quamvis fuiſſet barbarus, nec voluit nec potuit nominare propter invidiam.

In antiqua autem Gellii editione Veneta (a. 1493) populus quem confinxit Cincius ſcribitur 'populus hermūdulus', quod quanquam nota eſſe poteſt pro „Hermundulus" tamen accentus etiam veſtigia ex graeco aliquo vocabulo qui agnoſcat non reprehendendus erit. Ego autem agnoſcere mihi videor veram ſcripturam Ἑρμοῦ δοῦλος ſeu Hermudulus ſi latinis litteris ſcripſiſſe putandus eſt Cincius. Quam ſententiam ne quis velim irrideat antequam rem expoſuero totam. Ac primum omnium Mercurius eſt lucri vel furti deus; ob eamque rem dicitur ληιστήρ, φηλητέων ὄρχαμος, ἀρχὸς φηλητέων, i. e. *rex furum*, in hymn. homer. in Mercur. 14. 175. 292.; primumque furtum quod ipſe deus commiſiſſe dicitur, fuit *boum* Apollinis (V. hymn. homer. in Mercur. 14. βοῶν ἐλατήρ); igitur qui Mercurio adhaereſcit eique adſcriptus eſt tanquam ſervus vel quaſi ἱερόδουλος, ipſe fur eſt vel raptor. Quocirca etiam mercatores dicebantur *Mercuriales*, quod lucri nimis cupidi eſſe viderentur, quod non ita longe abeſt a furto. Quemadmodum igitur apud Graecos *miles* dicebatur Ἄρεος θεράπων ſeu

*) Originationis huius vocabuli, *graecae* etiam, quam olim propoſui hiſtor. form. reip. romanae p. 196 neque nunc me poenitet.

ſervus Martis (v. Archilochi fragm. I. apud Bergkium poet. lyr. p. 535. *εἰμὶ δ' ἐγὼ θεράπων μὲν Ἐνυαλίοιο ἄνακτος*), *poeta* vero vel *Μουσῶν θεράπων* (v. Heſiod. Th. 100. et oraculum apud Heraclidem Ponticum et Plutarch.) vel *Ἀπόλλωνος θεράπων* (Pind. Ol. III, 29.) qui Apollinem colit, et *Βακχίῳ δουλεύων* qui Baccho ſervit bibendoque excellit (Eur. Cycl. ult.) *) : ita *Mercurii, regis vel antiſtitis furum, ſervus*, adhibito etiam, in re putida, ignominioſiore et pedeſtri nomine *δούλου*, pro *θεράποντος* honorificentiore et poetico vocabulo, aptiſſime potuit is dici qui praedam egiſſet furtumque commiſiſſet, quae bellorum cauſae erant antiquiſſimae. Accedit quod oppidum quoddam vere dicebatur *Ἑρμοῦ πόλις* eiusque incolae *Ἑρμοῦ πολῖται*, ad quorum ſimilitudinem ipſe Cincius novum vocabulum graecum finxiſſe putandus eſt *Ἑρμοῦ δούλους*, ſeu Hermudulos; at graecum nomen finxit, quod ſermo Graecorum multo aptior erat ad eiusmodi nomina formanda propter compoſitionis legem, quam Romanorum. Ita Cincius uſus eſt Hermudulorum nomine ut logici antiqui pro certa perſona Coriſci, vel noſtrates iureconſulti olim Caii et Sempronii nominibus utebantur.

Quicquid autem de hac opinione ſtatuatur, nunquam ab ea perſuaſione divellar, fictum nomen illud eſſe quo Cincius in ſuam rem uſus eſt, non verum. Lubentiſſime tamen cedam ei qui probabiliorem ſententiam protulerit modo ne de Hermunduris ſeu Thuringis cogitet.

Alter locus Gellii eſt N. A. I, 12. qui agit, de capienda virgine Veſtale: „In libro primo Fabii Pictoris quae verba pontificem maximum dicere oporteat, cum virginem capiat, ſcriptum eſt. Ea verba

*) Nolo ad chriſtiana etiam nomina provocare ut Θεόδουλος, Χριστόδουλος al.

haec ſunt: *Sacerdotem Veſtalem, quae ſacra faciat, quae ius ſiet ſacerdotem Veſtalem facere pro populo Romano Quiritibus uti quod optima lege fiat ita te, Amata, capio.*“ Poſtea ſequuntur haec: „Praeterea in commentariis Labeonis quae ad XII tabulas compoſuit, ita ſcriptum eſt: *Virgo Veſtalis neque haeres eſt cuiquam inteſtato neque inteſtatae quisquam, ſed bona eius in publicum redigi aiunt. Id quo iure fiat quaeritur.* Amata inter capiendum a pontifice maximo appellatur, quoniam quae prima capta eſt, hoc fuiſſe nomine traditum eſt.“

De quo loco D. A. G. Cramerus illuſtris Ictus Kilonienſis haec adnotaverat in excurſu IV. ad Gellium (1832) p. 74: „Denique refert noſter quam caperet virginem pontifex, eam inter capiendum Amatae nomine compellatam fuiſſe, quia, quae prima capta fuit, eo nomine fuiſſe traditum ſit. Quae narratio ex eo nonnihil difficultatis habet, quoniam Plutarchus refert, non unam, ſed quattuor a Numa captas fuiſſe, earumque adeo nomina prodidit, inter quae illud *Amatae* non conſpicitur. Quae diverſitas in tanta remotiſſimarum hiſtoriarum obſcuritate inque tanta documentorum inopia, eiusmodi eſt, ut nunc quidem non amplius in cognitionem cadere videatur.“

At neque praenomen muliebre *Amatae* in uſu unquam apud Romanos fuit neque cognomen; tamen hoc nomen apud Latinos invenitur antiquiſſimis, ne dicam mythicis, temporibus tanquam uxoris Latini. V. Virgil. Aen. VII, 343. Ovid. Faſt. IV, 879. Hanc autem ipſe Fabius Pictor commemoraverat inedia ſe interemiſſe ipſam (Serv. ad Virg. XII,

603). Quare quae aut Labeo aut ipſe Gellius prodidit non pertinent ad Numam, ut opinabatur Cramerus, ſed ad antiquiora tempora Latinorum quorum ſacra erant Pelasgica ſeu Graeca et apud quos Veſta colebatur inprimis. Videtur igitur *Amata* apud eos fuiſſe ſacerdotale nomen Veſtalis virginis, neque me poenitet hoc nomen ad graecam originationem olim revocaviſſe (in programmate de Amazone Polycleti 1848), quum inveniamus ſacerdotes Iunonis Argivae et Samiae hoc nomine *'Αδμάτας* (i. e. quae nondum domita viro eſt) dictas fuiſſe propter corporis caſtitatem quae neceſſaria erat quum primum legebantur. V. de hoc nomine Athen. XV, p. 672. a. et anaglyphum Farneſianum, in quo legitur: *Ἥρας 'Αργείας ἱέρεια 'Αδμάτα Εὐρυσθέως καὶ 'Αδμάτας τᾶς 'Αμφιδάμαντος ἔτη νή.* Si regum Argivorum filiae, ut ex hac inſcriptione licebit concludere, Iunonis Argivae ſacerdotes legi ſolebant, haud improbabilis eſſe videtur Hartungii coniectura (Rel. Rom. I, p. 84.) etiam *Amatam*, regiae gentis feminam Latinique uxorem, olim fuiſſe lectam Veſtalem. Quod ſi verum eſt facile ſuſpicio oritur *Amatae* nomen, quo pontifices utebantur in capiendis virginibus ex graeco nomine ſacerdotali *Admata* (i. e. *Caſta*) paullatim apud Romanos evaluiſſe in latinam formam *Amata*, quum antiqui nominis graeci origo neſciretur.

Typis Hochhausenii.

18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0021061955